



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab initio Pontificatus usque ad
Annum 1746

Luxemburgi, 1752

Decretum quod SS. Apostolorum Principes Petrus & Paulus Urbis Romæ
Patroni Principales nuncupentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74696](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74696)

Apostolos laudabili studio amulantes, in Ecclesiis a Nobis constitutis devota celebritate convenient, & spirituali lætitia exultantes, laudantefque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam Natalis diei Apostolorum celebrent solemnitate. Siquidem de præsidio divinitus Nobis, ad exemplum patientiæ, & confirmationem fidei, preparato, in horum excellentia Patrum meritò est exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum, & mirabile consortium potentiæ suæ tribuerit Divina dignatio; alter verò Vas electionis, & specialis Doctor Gentium, superno oraculo, & Cœlesti sententia fuerit designatus. Præterea meminerint sæpè hanc Urbem potenti Apostolorum protectione a Barbarorum incurfibus, a cæde, a depopulatione, ab incendiis, a terramotibus, aliisque innumeris periculis, & calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia, & gratias, quas ad gloriam Servorum suorum, Brandeorum, vel Cætenarum contactu, vel sola oratione, aut nominis invocatione, antiquorum fidelium pietas, ac devotio ab Omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa Beati Leonis Prædecessoris Nostri ad Romanum Populum ex Beati Petri Cathedra clamantis, & dicentis: *Licet omnem Ecclesiam, quæ in toto est Orbe Terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus; vos tamen præcipuè inter cæteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa Apostolica petra arce fundatos, & Dominus Noster Jesus Christus cum omnibus redemit, & Beatus Apostolus Petrus præ omnibus erudit.*

Interminato quoque Cælestis vindictæ metu.

§. 13. Caveant igitur, ne Sanctis suorum Pastorum monitis inobsequentes, ne immemores beneficiorum Dei, ne irreligiosi erga Servos ejus Beatos Apostolos, & ab similes majorum pietati inveniantur. Magnum enim periculum est, esse homines, per oblivionem beneficiorum, ingratos Deo, & Servis ejus, nec correptione corrigi, nec de gratiis recordari. Sciant denique, quod Beatos Apostolos, qui apud Deum intercessores sibi esse non curat, suarum culparum severos Judices habebit, & quos conciliatores supernæ miserationis habere contemnit, offensam majestatis sentiet ultores.

Sanctio Constitutionis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostre Constitutionis, Decreti, Statuti, Definitionis, Monitionis, & Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Dat. die 1. Apr. 1743.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, Kalendis Aprilis Pontificatus Nostri Anno Tertio.

P. Card. Pro-Datarius.

D. Card. Passioneus.

VISA DE CURIA.

N. Antonellus.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Public. die 13. Aprilis ejusdem Anni.

Decretum quod SS. Apostolorum Principes Petrus & Paulus Urbis Romæ Patroni Principales nuncupentur.

CUM omnium communi æque, ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut quos à Sanctorum numero sibi singulæ Patronos elegerint, eos etiam, adjecto illustri Patronorum titulo, suis unaqueque Calendariis inscribant: Minimè dubitandum est, quin Romana potissimum Eccle-

sia, Principum Apostolorum Petri, & Pauli Martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris, & gloriæ culmen evecta, a Fidei primordiis eisdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, seque in illorum tutela positam jure putaverit. Clarum antiquæ huic traditioni perhibent testimonium tum Sanctus Leo Papa *serm. 1. de SS. Petr., & Paul.* ubi eos Romæ Patronos nominat speciales: *Sicut autem; inquit, & Nos experti sumus, & Nostri probavere Majores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper Nos specialium Patronorum Orationibus adjuvandos: tum quoque Sanctus Maximus Episcopus Taurinensis. Homil. 3. de istem,* ubi eos Romæ Patronos appellat peculiare: *Horum hodie concursu latissimo recolat Roma Martyrium; & quorum dudum impia persecuta est sanguinem, eorum nunc peculiari devota Patrocínio gloriatur.* Eisdemque celebri Disticho concinit Sanctus Venantius Fortunatus. *A facie hostili duo propugnacula præsum: Quæ Fidei Turres Urbs caput Orbis habet.*

At quia compertum est, in Ordine Divini Officii, debitâ hac notâ, ac insigni titulo Patronorum principalium Almæ Urbis, Sanctos eisdem Apostolos nuncupari non consuevisse, eam fortasse ob causam, quòd SS. PETRUS, & PAULUS Catholicæ Ecclesiæ Patroni cæteroquin Generales habeantur, eaque propter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur: Sanctissimus Dominus Noster BENEDECTUS PAPA XIV. solerter advertens, per hujusmodi Ecclesiæ universæ generale Patrocínio non effici, quominus iidem sint quamplurimum per Orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiare, sive, ut ajunt, Principales, & hoc nomine in earum Calendariis inscribantur; ratus est, non decere, ut quæ ipsorum Patrocínio Roma præ cæteris lætatur, eos, ubi maximè oportet, Sacris videlicet in Fastis, Patronos non appelleret.

Qua de re Sanctitas Sua, ut imposterum debita honoris & obsequii ratio servetur in recolenda memoria Principum Apostolorum, quorum præfenti ope, ac tutelâ Christiana Respublica, undique procellis acta, ac gravioribus in diem ærumnis confecta, tandem erigatur: Mandat, ac præcipit, memoratos Apostolorum Principes SS. PETRUM, & PAULUM posthac Romano quoque Calendario, sive Ordini Divini Officii pro degentis in Urbe Cleri directione quotannis imprimendo, similiter inscribi, titulo scilicet principalium Urbis Patronorum non omisso.

Præterea eadem Sanctitas Sua, inhærens Decretis aliis editis a Sacra Rituum Congregatione, & a Prædecessoribus suis Romanis Pontificibus approbatis, declarat, quod Commemorationi, quæ in unaquaque Civitate, & Diocesi, ex laudabili consuetudine, & Rubricarum dispositione, fit Sanctorum suorum Patronorum Principalium inter Suffragia Sanctorum, post Laudes, & Vesperas in Divinis Officiis, quando Commemorationes, sive Suffragia Sanctorum recitantur, tum Romæ, tum alibi, ubicumque Sancti Apostoli PETRUS, & PAULUS uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam Commemorationem ordinariam, seu communem, quæ fit eorundem in universa Ecclesia, post Commemorationem Beatissimæ Virginis Mariæ. Atque ita Sanctitas Sua mandat, decernit, & declarat. Hac die 16. Octobris 1743.

Fr. J. A. Card. Guadagni Pro-Præfectus.

Loco ✕ Sigilli.

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secret.